sensum frigoris juxta plures, paucioresve vestes, ut qui A plures adhibet, atq; delicatiores, magis obnoxios injuriis frigori, externi sit, minus qui paucioribus utitur, atque vi lioribus: *nebulam sicut cinerē spargit*, hoc est, discuti tenebras, & caliginem ignorantiæ, peccatiq; pro quantitate contritionis & pœnitentiæ, & humili suimet ipsius opinione, quæ per *cinerem* denotantur. Attigi alio in opere *a*, accommodatiorem ipsum non invenustum sensum. Obscurius Ephrem *b* significat accipere se huc locum de immutatione spirituali, ut abigamus rigorem, horroremque, tristitiam hyemis, & novo quasi vere lætemur, ac justitiæ fructus proferamus Domino acceptos, ut audacter ad eum dicere queamus c. *Lætabitur Dominus in operibus suis*. Bona vent, in commentario, peccati genera tria hic agnoscit: insolicitatem (originale credo intelligit) actuale peccatum, sive ignorantiam, peccati obstinationem: primum peccatum deleri per lanam (accipiendo *sicut*, pro *per*) idest, per incarnationem; (hæc enim per se primò facta est in remedium originalis peccati) secundum per pœnitentiam: (quam *cinis* designat) tertium per prædicationem; (quæ fit videlicet quasi in buccellas, ac frusta, tracto pane.) Est præterea *d*, qui interpretetur, *dari nivem* judiciorum divinorum, quæ indicantur *capillis lanæ mundæ* similibus *in capite antiqui dierum*: e sint autem suavia & sincera, & atque beneficia nostra: *nebulam sicut cinerem spargit*, hoc est, procellam tribulationum, quasi sal iberum mortificationem, quemadmodum ros in vellere Gedeonis, *f* innuebat consolationem, gratiamque in tribu ationibus.

Quid dat nivē sicut lanam.) Redundat in Græcis Bibliis Complutensibus, Regius, aliis pronomen αὐτῆς, *nivem suam*. Addit Paraphrastes nivi epithetum *albæ*: חיור *chivar*. Addere potuit aliud ex mollitie, & tertium ex calore effectivo & causali, non formali: (quod perperam videtur apud Senecam g sentire Demetrius, ut & qui nigrā non dubitavit asserere Anaxagoras, teste Tullio *b*) quemadmodum & de veribus Theodor. in oratione de charitate philosophatur. Ex isto calore, & ex hoc velut fomento nives vestis constat existere fertilitatem; de qua etiam prudunt Plinius h ac Theophrastus *K*, & exemplis confirmat nobis loco Bochius. Causa, inquit Plinius, non solum quia nives animam terræ evanescentem exhalatione, includunt & comprimunt retrog; agunt in vires frugum, atq; radices verno & quod liquorem sensim præbēt parcum: præterea, leviss mum q; quando nix aquarum cœlestium summa est. Hilarius ait, quod nix lanæ mollitudine destuens, tegēs omnia intra se detinet. Deo Job *l*, idem nivis munus ascribit, scribens: *Qui præcipit nivi, ut descendat in terram*, Hebraicè, Græcè, *qui dicit*, vel *constituit nivi, Esto super terram*, seu *in terra*, vel *super terram*, אֶרֶץ לִי־לַשֶּׁלֶג הֱוֵא *chi la, celeg lamar hove aretz*, ὁ μετὰ ὕσατος χιόνι, *qui cum aqua nive*, seu *in ezi aris* χῆς. De philologia nivis recognosce dicta plura in 30. *m*. ubi mystica quoque allata sunt nonnulla præter ea, quæ hic diximus. Epithetum illud à Paraphraste additum, ut *nix alba* dicatur, maximè proprium est: quamvis veruntate rubescat *n*, & in ea vermes gignantur, ignis rutili colorem repræsentantes *o*, immò & rubentes decidant in Armenia *p*, ob minii copiam, à quo effluntur exhalationes aeris partibus prævalentes. A lana denominarunt etiam Græci, Eustatio *q* teste, ἔριον ὕδατος, *lanam aquam*, sive lanatam sive lanarem. Martialis *r*, eadem utitur allusione.

Aspice quàm densum tacitarum vellus aquarū defluat.

Arnobius *s* nives cognominat plumeas & plumeas crustulas, scilicet quia sic leviter decidunt, ut plumæ ac lanę. Nonnulli *t* nivis effecta ad Mariam applicant, cui placuit dato nivis signo basilicam excitari sibi in urbe, fervidissima anni tempestate: ut scilicet patrocinio & exemplo nos fœcundet, occultet peccatoris fœditatem, *albis indumentis induendo*, *ut non appareat confusio nuditatis ejus*: u: manifestet vestigia bestiarum, idest, dæmonum ac tentationum, ut facilius leonem interficiamus *tempore nivis* x; molliores reddat, & faciliores, atque divino liquore irrigatos, decidat quodammodo ad nos blandè, & absq; feveritate: comprimat libidinis humorem, caloremque ac inordinatas omnes appetitiones: in montibus contemplativorum, & magis perfectorum libentius ac ditius consideat, sicut & Deum constat montibus delectatum. Nivariam insulam non ineptè adaptaveris Mariæ, unam de fortunatis *y*.

Nebulam sicut cinerem spargit.) Hieron. *pruinat*. Sed apud Trevetum, *pruinam*. numero singulari, in quo est כְּפֹר *chephor*, sicut & אֵפֶר *ephor*; inter quæ allusio pulchra est, nec non & cum verbo יְפַזֵּר *jephazzer*. Quem vocant Hieronymum, non dubitat affirmare Latinum *nebulam* malè interpretatum, eo quod sit dictum nomen Hebræum, & Græcum ἐμίχλη. Non ita libere Interpretem verus reprehendit Hieronymus; nec magis Latinum quam Græcum, quum ὁμίχλη *nebulam* propriè sonet; interpretatio autem Latina ex Græca immediatè facta est. Verus Hieronymus alibi *z* *nebulam* vertit, ubi est ὁμίχλη sed aliud nomen Hebræum עֲיָפָה *bhephah*. Retert Chrysostomus Græcè vertisse, ὀμβρον πνευματικὸν, *rorem concretum*; Hebraicè autem haberi, Χαρμὶς, quod sanè corruptè expressum est. Scepræus recitat ex Chald. *curheieh*, quam *glaciem interpretatur*. Hæc dicitur Hebraicè קרח *Kerah* paullo post: in textu autem Bibliorum Regiorum, & Nebiensis reperio גליד *ghelid*, hoc loco, quam etiam exponūt *glaciem*, quasi dicas *gelidam*. Verum quia resolvi solet in pruinam nebula frigida, humidaque, ut & in pluviam nubes aquosa, propterea *nebulam* Interpres reddit. Arnobius quidem, quamvis *nebulam* legat, exponit *pruinam*: & Hilarius nominat *pruinam nebulæ*. Cineri similis dicitur hæc sive nebula, caligoq; sive pruina: tùm quod visum nostrum obscure undiq; sicut in aerem sparsus cinis, tùm quia colore cineritio videtur esse: ut idcirco *livens nebula* cognominetur *a*: tùm quia terram perurit, (unde *pruinæ* b nomen) & consumit diffluentem ipsius humorem, necnon & fruges ipsas, quam vocant carbunculationem *c*. Prusna & ros opportunè si tum obveniant non parum commodant arvis, alieno tempore plurimum nocent: & quidem pruina perurit lactescentes oculos germinum, ac enecat stirpium, vinearumq; juventutem: nam calorem consumit & exprimit, ac foras elicit humorem, comprimendo hinc inde. *Nebulæ pulverem pedia Dei*. Nahum *d* vocat, quadam similitudine non dissimili nostræ cum cinere. Comparatio autem ex cinere propter fœcunditatem potissimum videtur petita. Cineris usum Plinius *e*, antepositum testatur à nonnullis fimo jumentorum. De eadem re alii notant hic cum Plinio:

tùm verò Virgilius *f*.

—— arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, nive
Effetos cinerem immundum sparsisse per agros.

Si ludere conceditur in vocabulis quum nebulonem à nebula dictum velint, quod nebulas nugarum objiciat, & sit mollis, ut nebula, inanis & vanus, tropologia prius allata hinc illustratur, quod nebula designet peccatum, hoc autem sicut cinis dissipetur, hoc est, si pœnitentiæ cinis adhibeatur, quo defignari pœnitentiam docuimus ps. 101. *g*. *Ignes suppositos cineri doloso*: h, pœnitentiam, possumus, & humiliatem cenere, quæ divinas tegit prunas, quas qui tangunt improbi, dæmonesque, homines que adurunt, nisi nisi merum ac frigidum rati cinerem esse. Non sparsus est, sed adhuc extat Sodomæ cinis, quæ meritò regio cineris cognominatur ab Orosio *i*, de qua dixi in comment. libri Sapientiæ *K*, quo cinere ipsimet fructus conspersi sunt, immò attacti dissolvuntur in cinerem.

Vers. 17. *vel* 6.) Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus, qui sustinebit.

POstrema rerum frigidarum crystallus est, nempè grando, quæ mitti dicitur, quia cum impetu jactata défertur; quemadmodum nix dari dicebatur, cujus levior ac lenior descensus; nebula sive pruina spargi, propter minus levem, lenemq; descensum. Ut autem ultimo loco recensita grando est, sic primum illa frigoris locum tenet. Et quoniā densior descendit, cum buccellis, panive fragmentis comparatur. Quod etsi glaciei quoque convenit, quū dissecatur, quæ & frigidissima est & placentæ fructis videtur similis, & ei vox etiā *crystalli* competit: *mittendi* tamen verbum non congruit præsertim cum jactu, quem *βάλλειν* importat. Mystica satis attigi. Præter illa Chrysostomus quoda m sermone de resurrectione *l*, sic rectè nonis Christi diem vocans, diem panis, ait eo die processisse panem in veritate, qui sicut crystallum mitebatur de nubibus propheriæ; & per frusta panis cōsumtæ prophetiæ integrum sacramenti consectum panem; & salutare panificatum (sic Auctor ille loquitur) nobis verbum, cry-

crystalica prophetiæ fermentatione firmatum, & destitisse jam crystallum propheriæ, quia paratum gustavimus panem. Putatus Hieron. hoc loco scribit, quoniam nos in totum verbi carnes capere non possumus, frangit ut per partes illas capiamus. Fateor quod subdit obscure dici, nec me quid illud sit capere, nempè verbi carnes frangi. De physicis nonnihil addendum.

Mittit crystallum suam.) In genere neutro, *crystallum* habet Romanum Pfalt., & Ambros., Cassiod. Prosper, Augustin., Arnobius, putatus Hieronymus. Verus autem Hieron. transfert; *projicit glaciem suam* קרחו משליך *maslich Korcho*. Contendunt *a*, aliqui glaciem omnino hic intelligendam, & non grandinem, quia grando Hebraicè alio nomine appellatur ברד *barad*: non habet grando similitudinem cum panis buccella: non efficit in aere frigus; quia fere decidit in æstate, (quæ Cajetani ratio etiam est) hic autem dicitur, *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Nec *mittendi* obstare verbum respondent, quia dicuntur etiam homines à Deo missi, ut Prophetæ, & Jo:, qui ramen de cœlo non cadebant; atq; idcirco *mitti glaciem* erit Dei jussu fieri, & existere in terra. Reddunt hæc sane opinionem non improbabilem, quæ placet multis recentioribus, post putatum Hieron., Augustinum, Lyranum, Cassiodorum, Ayguanum. Fayet tamen nomen Græcum, quod psalmo sequenti *b* vertitur *glacies*, ubi est Hebræum, quam hic, & in libro Ecclesiastici *c* cum scribitur, quod *gelavit crystallus ab aqua*, de hic ponuntur, ad hyemis aspertimæ violentiam refert: deinde comparatio cum buccellis, panisve frustis innuit glaciem constringendo pascentem veluti, & saginantem eo modo, quo buccellæ sumtæ corpus pascunt & saginant: sed pro grandine facit αὐ βάλλειν, ut prius dixi: quod per *mittendi* verbum exponi non solet, nec apte potest: immo nec Hebraeum הלגיך *birlich* d: sed simplex שלך *scialach* in *Kal*, pro quo est ἀποστέλλω. Deinde glacies in bucellas, frustave panis non rectè dicitur mitti, quia fit non enim cùm fit, fit divisim fit, verum grando. Ad hæc Arnobius interpretari crystallum grandinis ac Dei lapidationem, quia scilicet etiam vocari so ent lapides grandinis. Nicepn. au. ē diserte scribit, sermonem hic esse περὶ τῆς χαλάζης de grandine, cujus opinionis meminit Euthy., nec refellit, dicens de grandine majore accipiendam esse. Idem insinuat Appollinarius, utens participio *iacta projiciens*. Jansenius, quoniam glacies à cœlo hic venire significatur (apud Job *g* quæritur *gelu de cœlo quis genuit?*) & comparatur buccellis, infert rectè per eam ab Hebræis grandinem intelligi, eo quod grando secundùm Philosophos non sit aliud, quam pluvia congelata, sive ἀθρόον ὕδωρ ἐκ νεφῶν συνηγμένον *conferta aqua & compacta*. Quæ descriptio, quia convenit etiam glacieī, vocari solet quod grando pluvia congelata: ita ut nihil obstet hoc loco nomen *glaciei*, & קרח *Kerach*: sed propter adjuncta verba missionem per projectionis modum significantia, de beamus grandinem sumere. Campensis in paraphrasi explicat, *qui emmittit frustatim grandinem, similem glacieī tam frigidam ut nemo non horreat à frigore ipsius*. Trevetus legens cum Hieronymo, projicit glaciem suam, declarat de grandine, quæ aliquando in tantæ magnitudine cadat, ut assimiletur buccellis. Valentia *grandinem* aperte interpretatur, & Carolus Bovillus. Defendit postremus ex professo, & bene Agellius eamdem istam sententiam. Pradus etiam noster consentit in commentario Ezechielis *b*. Hoc profecto sentiunt, qui exponunt mitti, jaci, vibrari frustatim ac minuatim gelu, glaciemve.

Et suum frustis, ait Arius, simile at minutis
Is gelu canens jacit.

Eadem sententia Peregrini Heri; exponentis Italico sermone & *cade la tempesta grossissima come tazzi di pane*. Cecinit eodem sensu poeta Gallus *i*,

Il jette sa glace abondante
Comme lopins s' amoncelant.

Placet mihi magis hæc sententia: tum propter allatas rationes & auctoritates: tū quia facile contrariis argumentis occurri potest ex his, quæ dicta sunt. Nam *glacies* nomen de grandine dici commode potest, ut & *pluvia glacialis*, & *nivalis glacies*, & *frigus glaciale*, dicitq; Plinius, *K* conglaciato imbre gigni grandinem. & cognominatur gelida ac nivosa. Immo vidimus in libro Sapientiæ *l*, cùm scribitur, quod *nix & glacies sustinebant vim ignis*, per ni-

fatiorum fcientiam doctrinæ fuæ ictibus tundentes. Exemplum in Paulo affer. Hoc ab Auguſt. hic obſervatum vidimus licet circa glaciem, non circa grandinem. Enarratores cæteri Latini fere conſentiunt: fed attendit Bruno *buccellas* dici, non *panes integros*, quia nemo ſcientiam, vel doctrinam omnem obtinet, ſed parte duntaxat.

Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?) Hieron. *quis ſtabit?* Alius apud Chryſoſt. εἰς πρόσωπον· Λέγεις εἰς ὀλιγωρίαν *in faciem frigoris quis ſtabit?* Ubi omittitur pronomen, quod tamen extat Hebraicè, & Græcè קרחי יעמד לפניו *liphe Karatho mi jahhamod*, κατὰ πρόσωπον ψύχους *ejus quis ſtabit?* In Romano Pſalterio, & apud Auguſtinum, Proſperum, Caſſiodorum: *quis ſubſiſtet?* vel apud uſtimum, *ſubſiſtit*. Primo modo legit etiam Euche-

a ita quaſtio nibus.

rius *a*. Auguſtinus cum vetere Pſalterio: *in faciem*; quo modo referebat Chryſoſtomus ex alia Græca translatione εἰς πρόσωπον. Senſus eſt, ante cryſtallum neminem poſſe conſiſtere, ideſt, frigori ejus reſiſtere, illud non ſentire, ab ipſo, ut de calore Solis alibi *b* canitur, ſe abſcondere. Idem eſt, *ante faciem*, quod *à facie*, & utrumque, quod *à frigore*; quemadmodum *ventus veniens à facie deſerti* c, (*à regione*,) eſt veniens à deſerto; *tenebræ ſuper faciem abyſſi* d ſunt quæ ſuper abyſſum erant. Digreſſionem Bochii, ſi vacat, lege de rigidiſſimis præ frigore locis, & hyemibus. Non glaciem duntaxat, ſed grandinem præfrigidam eſſe, docui antea, exiſtimans de hac potius, quam de illa præſentem ſumendum locum. Hieron. putat itius non cryſtalli, ſed frigus Dei vult hic intelligi; deque tormento gehennæ calidæ, quod paratum eſt charitate frigidis; propterea debere nos eſſe *ſpiritus fervientes*, *quia Deus noſter ignis conſumens eſt* e, ut frigus diaboli ejiciat. Quo ſpectat, quod alii g, ſaltem per accommodationem, explicant, non eſſe, qui ante faciem frigoris Dei, ideſt, quod ab ira ejus provenit, ſubſiſtere poſſit, accipiendo frigus pro illo, quod in inferno experiuntur damnati. *ad nimium calorem tranſeuntes ab aquis nivium* h, ut Angelico placet Doctori *i*, abſque ulla tamen ſupplicii diminutione. Simili quadam dicendi forma Daniel K ſcribit; *Fluvius igneus, rapidumque de Dei facie egreſſum*. Eſa. l vero, *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus ſempiternis?* Summi caloris edidit Deus ſupplicium in pentapolim *m*, ſummi frigoris vertendo uxorem Lot in ſtatuam ſalis *n*. Tentationem per hoc frigus Eucherius, * *Camare* f. Idem adhuc, & condiſcipuli velut frigore venti Aquilonis, ideſt, timoris concreti continebant ſe intra cenaculum, donec adveniente Auſtro igneque Spiritus ſancti foras prodentes cœperunt *loqui magnalia Dei* g, ita ut fluerent ex eis aquæ, immo & atomata *h*. Prnſper, Remigius, Caſſiodorus, Bruno, & fere cæteri exponunt eodem modo de Verbo, ac quod eſt Filius Dei, quem ſemper, & ineffabiliter à ſe Pater emittit, & ſimul cum Spiritu ſancto, quem venit velut *ignem mittere in terram i*, mollificat homines, dando virtutes, & bona opera; prius deſtruendo duritiam vitiorum, & interioris cæcitatis: denique efficiendo, ut converſi nominatim hæretici, qui antea erant nix, nebula, glacies, abundent doctrina & per eos iterum Dominus *annuntiet verbum ſuum Jacob*, &c. ut habetur verſu ſequenti. Etenim Chriſtu poſt reſurrectionem inſufflando in diſcipulos, juſſit prædicationis aquas ad omnes derivare. Totum locum hunc illuſtrat alterius pſalmi K locus, *Converte, Domine, captivitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro*: item *l*, *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ*. Valentia docet, per *nivem, nebulam, chryſtallum*, quæ propter congelationem, & alias qualitates, non ſunt potabiles; ſed poſtquam liquefactæ fuerint, intelligit veteris Teſtamenti Scripturam, quæ licet non differat à veritate Evangelica ſub figuris, ænigmatibus, ceremoniis, indurata, & obſcura; tamen redditur inutilis, niſi reſolvatur per calorem Chriſti, velut Solis, & ſtatum Spiritus ſancti. Eodem facit, quam idem affert Valentia, comparatio ejuſdem Teſtamenti veteris cum hyeme, novi autem cum veris tempeſtate. Certe Chriſtus verno tempore incarnatus eſt, eodemque reſurrexit, ac ineunte æſtate Spiritum ſanctum in igneis linguis miſit *m*. Nec non inepte aliqui *ignitum eloquium vehementer* n accipiunt de illo, quod velut Chriſti ore aperto, unde calidus mittitur ſpiritus, prodiit: illud aliud in lege vetere, quod quaſi ore compreſſo, unde frigus excitari ſolet.

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.) Hieronymus, *ſolvat ea*. Male Camp. reſtringit ad glaciem ſive cryſtallum, ut grandinem, quia paragogicum pronomen pluralis eſt numeri, יסמם *jamſem*. Vetus Pſalterium, & Auguſt. legunt, *tebefaciet*; ſed monet hic Doctor, id verbum in malo intelligi non debere, idemque eſſe, *liquefaciet*, & *diſſolvet* Græcum ἀποῦ, & dictum Hebr. tabefactionem denotant, quæ in liquefactione nonnul a cernitur. Romanum Pſalterium, & Iſidorus *a*, habent, *mittit*, in præſenti: Ambroſianum, *mittet*. In verſ. 15. & 17. *emittendi* verbo reſpondit idem Hebræum in *hiphil*, השלוך *hislich*, quod deſcenſum, & quaſi jactum indicat, ut dixi in 17. ſed in eodem 17. eſt βάλλων maximè id exprimens in 15. ἀποστέλλει: in hoc noſtro ἐξαποστέλλων ſed ſimplex שלך *ſcialich* in *Kal*. Per verbum *emiſſum* litteraliter videtur ſola divina juſſio ſumenda, quemadmodum in pſalmo 106. *b*, *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos*: quo loco eſt ἀπέστειλε, & שלח *islach*: quamvis quidam velint hic indicari, aut Solis calorem, aut pluvias, quibus liquefiunt aquæ congelatæ. Chaldaicè, *mittet vigorem caliditatis ſuæ*: quod corruptè legitur in Regiis Bibliis, *rigorem*; rigor enim potius ad frigus pertinet. Nebienſis *vigorem*: poſuit; ſed ſequens membrum haud ita rectè vertit. & *ſanavit eos*: eſt enim idem fere cum Hebr. quod *liquefacere* ſignificat, ימסנון *jamſinnum*. Fortaſſis confudit illum ſimilitudo cum citato pſalmo 106. Nihilominus juxta eam translationem recitat cujuſdam, cui nomen Libertatis Commineti Hiſpani ad fidem converſi à Judaiſmo interpretationem, de ſanitate ſpirituali per Verbum miſſum, quod eſt Patri conſubſtantiale, & ſimul de multis morbis divinitus curatis. Sponſa teſtatur, *animam ſuam liquefactam, ut dilectus ejus loquutus eſt* c. Bernardus *d* vero ſcribens ſe ex colloquio ſpiritualium virorum plurimum profeciſſe. (Sic etiã frequenter ego ipſe, quod fateri non verecundor, maximeq; in initio converſionis meæ, corde durus, & frigidus, & quærens, quem vellet diligere, anima mea: Nec adhuc enim diligere poterat quem nondum invenerat, aut certe minus, quã vellet, diligebat, & ob hoc quærebat, ut magis diligeret, quem nequaquam quærerent, niſi jam aliquatenus dilexiſſet. Cùm ergo eum quæreremus, in quo recalefceret, atque requieſceret ſpiritus meus, utique torpens, & languens, nec ulla de parte occurreret, qui ſuccurreret, per quẽ videlicet pruina rigens, quæ ſenſus ſtringebat internos, diſſolveretur & vernalis illa ſuavitas, ac ſpiritualis amœnitas reverteretur: tunc magis, ac magis, languebat, & tædebat, & *dormitabat anima mea præ tædio* e, triſtis pœne, & deſperans, & muſitans ſecum illud, *à facie frigoris ejus quis ſuſtinebit?* cum ſubito forte ad affectum, vel etiam aſpectum cujuſpiam ſpiritualis, perfectique viri, interdum & ad ſolam defuncti, ſeu abſentis memoriam, flebat ſpiritus, & fluebant aquæ, & *erant mihi lacrimæ illæ panes die ac nocte* f. Sic ille. Revera ſtante ſpiritu, & *poſtulante pro nobis*, ideſt poſtulare faciente, *gemitus in nobis inenarrabiles*, g ſentimus. Porro nonvalde ſolidum videtur diſcrimen Bovilli, inter *verbum*, quod hic ponitur, quaſi ſit proprium novæ, & ſubſtantiale legi: & *eloquium*, quod verſu 15. & veteri conveniat. accidentarii uſque ſermo, quamvis diverſa ſint nomina etiam Hebraicè; אמרת *imrah*, & דבר *davar*, atque Græcè λόγιον, & λόγος.

Flabit ſpiritus ejus.) Hieronymus. *ſpirabit ſpiritu ſuo*. Apud Caſſiodorum, & *flavit*. Faber ex Romano Pſalterio *flavit*. Vetus Pſalterium; & Auguſt. *ſpirabit ſpiritus ejus*. Poſſet verti, *ſpirabit*, ſive *flavit ſpiritum ſuum*: quoniam in textu Græco αὐτοῦ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, accuſativi caſus poteſt eſſe εἰς πνεῦμα, & pronomen αὐτῦ pro αὐτῷ: quamvis etiã cum ſpiritu tenui ſervire poſſit cuivis perſonæ. Hebræa etiam, ut nunc extant, ישב רוחיו *aſehev ruchо* ſignificant *flare*, ſeu *ſpirare fecit ſpiritum*, ſive *ventum*, à נשב *naſciav* in *biphil*, חשוב *hiſciv*. Quidam vertentes, *reddere faciet*, legunt נשב *jaſeev* in *biphil*, תשיב *heſciv*, à themate שוב *ſciv*. Chaldaicè, *faciet ſedere ſpiritum ſuum*. *Spiritus* hoc loco proprie pro vento ſumitur; ut etiam docet Nazianzenus *h* cum Elia ſcholiaſte, *i*, qui recenſent alias notiones pro Patre, pro Filio, pro ipſa tertia perſona, pro dono, pro Angelo, pro animo, pro eo, quod opponitur litteræ, pro diabolo. Addi poteſt, pro halitu, ſeu reſpiratione, pro animali vita, pro vi carnẽ agitante, qui etiam dicitur animus. Nonnullos tamẽ hic ſumere pro perſona tertia Trinitatis, paullo ante monui. Nec eſt verum, quod nonnulli arbitrantur, *ſpiritum Domini* numquam pro vento accipi; nam hoc loco *ſpiritus ejus*, ventus Domini eſt: & in Geneſi *k*, *qui ſerebatur ſuper aquas* de vento exponitur à Theodoreto *l*, Athanaſio, vel alio *m*, qui ita etiam hunc pſalmi locũ in

Lorini in Pſal. Tom. IV.

A Aalterius loci confirmationem declarat, ſicut Theodoretus, & ab aliis, quos citat Sixtus Senenſis *n*, & qui ſcribunt in Geneſis cap. 1. licet pro Spiritu ſancto multo communior, & verior ſenſus ſit, & in Eſaia 0, *exſiccatum* dicitur *fenum, floſque decidiſſe, quia ſpiritum Domini*, hoc eſt, ventus, *ſuſſlavit in eo*. Cæterum hic *ſpiritus* pro vento, eſt ventus auſtralis calidus, reſolvens gelidas aquas, & aquilonari oppoſitus frigido, qui cogit eas, & conſtringit. Ea reſolutio vere præſertim fit;

n 5. *bibliur.* 4. *not.* 5.

o cap. 40. 7.

* *Statius Thebaid.*

* *Cum vere reverſo*
Bifloniæ tepuere nives, ſubmittitur ingens
Ætnus, & anguſtos Rhodope deſcevdit in amnes.

Et fluent aquæ.] Addita eſt conjunctio etiam à Hieronymo, quum non extet Hebraicè. Fluxum aquarum ſignificat liquefactarum per Verbum juſſionis divinę. Modus autẽ liquefactionis eſt vel opera venti calidi, vel pluviarum, quę pluvię ſtante etiam vento decidunt. Myſticum illum ſenſum antea indicatum Gregorius *p*, exprimit, dum tractat verba Job *q*, *Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſime funduntur aquæ*. Illuſtrat alia Prophetæ noſtri ſententia, qua deſiderii ſuum exponebat apud B Deum, ut hoc frigidi torporis gelu ſoluto, veretur, *Converte, Domine, captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro* r: præterea illa ſimilitudine Sapiens *ſ*, *Sicut glacies in feſtivo, ſic reſolventur peccata tua*. Aquæ de gelu currunt, inquit, quia plerique ex duris perſecutoribus magni Prædicatores fiunt. Exemplum in Paulo affert. Tandẽ ait, poſt gelu latiſſimas aquas Dominum fuiſſe, quia poſtquam Judæorum ſævitiam uſque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia, amoris ſui aſpiratione liquefecit, ut tanto poſt deſiderabiliùs ad obediendum currerent, quando præceptis illius prius obſtinatius reſtitiſſent. Greveus *t*, in ſermone ſuper hoc loco, exponens eamdem simul Jobi ſententiam, demonſtrat utilem eſſe lacrymarum cum exſiccatione, tum effluentiam. Ceſſationis cauſſas aſſignat, ut liberius poſſimus intendere operibus juſtitiæ, ut magis poſſimus proximorum utilitatibus deſervire, ut uberius redeant. Effluentes lacrymas utiles dicit, ne tentationes infrigidrant. Hugo, quoniã aqua deſignat curſum vitę humanę, qui eſt ſecundùm gratiam culpam, miſeriam; diſtinguit quoque triplicem aquam, gratiæ, culpæ, miſeriæ; quarum rurſum varias differentias tradit. Ieclu non injucundas. Recenſet etiam Ayguanus aquam Scripturarum, lacrymarum, gratiarum, quæ nos videlicet promerentes efficit. Nec vero diſpliçer ſubtilis annotatio Bovilli, adventu Verbi, ſive Chriſti, liquefactas congliaciatas aquas veterum Scripturarum, ſed adhuc veluti ſtagnantes conſtitiſſe, donec Spiritus ſanctus flaret, ſicque in latices, & in rivulos irent, non jam amplius emortuæ, quietæque, ſed profluæ, currentes, vivæ, promtæ, efficaces. Id mox accidit, ut ſpiritus vehemens flavit, compellens prodire foras Apoſtolos, & loqui palam, ac libere *magnalia Dei u*, ut nuper quoque obſervavi Nebienſis affert Libertatis Commineti ex Judæo. Chriſtian. expoſitionem, quod Deus quieſcere faceret ſpiritum ſuum, (ſic enim interpretabatur) & aquas haurirent homines de fontibus Salvatoris in Baptiſmo.

p *ſerm.* 37. *in Cant.*

q *lib.* 5. *v.* 19

r *pſ.* 125. 4

ſ *Eccl.* 5. 17.

t *ſerm.* 32. *in Cant.*

* *Aqua trina.*

u *Act.* 2. 11

Verſ. 19. *vel* 8.) Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael.

Senſus loci.

SImul eximium gentis Hebrææ decus aperit, ut præter communia reliquis beneficia, de quibus adhuc dictum eſt: legem à Deo acceperit, continentem religioſas ceremonias, & jura, quibus inter ſe ſocietatem rectè ſervarent, ſimul velut argumentando à comparatione minorum, & majorum; eamdem gentem admonet, ac extimulat, ut pro aliis quidem, ſed pro iſto maximè beneficio Deum laudent, & gratos exhibeant ſeſe faciles, morigeroſcum Dea tam prompte, expedite: facile res obtemperent frigidiſſimę, atq; duriſſimæ, ut ſimplici ipſius juſſione, ac levi flatus immiſſione Auſtrini mox liquefiant, ſolvantur, fluant, currant. Exigitur id potiore jure ſupra modum à populo Chriſtiano, ſive à gentibus quas Eſaias *x* prædixit fore, ut mirabili prorſus ratione fluerent ad Chriſtum in vertice montium præparatum, & elevatum ſuper colles. Iſtis gentibus annuntiatum eſt Verbum jam incarnatum, ac longe ſublimior lex tradita cum juſtitiis, & judiciis. Chriſti etiã beneficio ſit in credentibus, quorũ antea *cor coagulatum erat* y, & concretum *fons aquæ*

x *cap.* 2. 2.

y *pſ.* 118. 70.

salientis in vitam æternam a, atque *de ventre eorum dem fluminafluunt aquæ vivæ*, proprer Spiritum sanctum *b*, foventem, calefacientem, vivificantem; ita ut væleant aliis quoque communicare, & quasi exundantia flumina efficere ad Christum confluentia. Atqui longe perfectius conveniunt hæc cœlesti Jerusalem, cui Deus ipse annuntiat Verbum suum, & ubi vident beati omnes in Verbo ipso justitias, & judicia Dei, cunctumque ordinem, dispositionem, rationem eorum, quæ nunc nos latent, & delitescit, sicut in abysso multa & profundissima.

Qui annuntiat verbum suum Jacob.) Vetus Psalterium & Augustin. ac Prosper, *annuntians*. Psalterium Romanum, & Cassiodor. atque Arnobius, *pronuntians*. Græcè, ὁ ἀπαγγέλλων. Hebraicè מגיד *maggid*. Hebræum participium significat eum, qui aliquid indicat, nuntiat, & coram refert, loquiturque. Chaldaicè, *qui annuntiat verbum legis suæ*, Jacob, & Israel, quæ nomina, notantur articulo Græco dativi casus, τῷ, & Hebræo ל, pro populo universo sæpius accipi, alias vidimus. Unde non placet, ut quod ajunt Lyranus, Ayguanus, Rickelius, Jacob Patriarcham ipsum designet, Israel populum; tametsi verum sit, Patriarcham peculiares revelationes de verbo habuisse: at non magis ut *Jacob* vocabatur, quam ut *Israel*: immo si *videntem Deum* significat *Israel*, potius ut Israel, quam ut Iacob, qui *supplantator* exponitur: in quibus etiam non ionibus mystica solet vis perpendi. Per *Verbum* Cajetanus, Placidus Parmensis, Junsenius, & Genebrardus intelligunt moralia præcepta, quia mentio subditu de justitiis, & judiciis, ideſt, de ceremonialibus, atque judicialibus præceptis. Lyranus accipit prædictiones de Messia, & Verbo incarnando, ac nesciturо de Tribu Juda: & hoc aliter dictum ab Apostolo c recensente privilegia populi Judæi, qui *creditasunt ei eloquia Dei* πίστις θεοῦ. ideoque hoc loco non legit Lyranus, *tradita*, ideſt, vaticinia & oracula per summam quamdam confidentiam communicata. Sed Græca vox, ut antea quoque monui, non per se significat *oracula*, nec differt a nomine τοῦ λόγου, ut nec Hebræa semper discrepant אמרת *imrah*, quod frequentius sit reddi per λόγιον, & *eloquium*, atque דבר *davar*, quam per μῦθον, & *Verbum*. At hoc loco sunt, verbum λόγιον, דבר *davar*: quamvis emendati codices habeant λόγιον, & Apollin. μῦθον. Legem universam denotant *eloquia*, ibi *d*, *quam dulcia faucibus meis eloquia tua*: sermones humanos, alio in loco *e*, *eruntut complaceant eloquia oris mei*: utrobique, λόγια, & אמרית *imroth*, vel אמרים *emarim*. Universam legem comprehendere potest verbum, quod hic dicitur annuntiatum, sed præsertim Decalogo comprehensam, in quo sunt moralia præcepta. Hunc Decalogum tradidit Deus populo per Moysen, cui *notas fecit vias suas*, & *opera ipsius: filiis Israel voluntates suas* f. Hoc idem peculiare munus collatum eidem populo, scribit iterum Paulus g, enumerans *adoptionem filiorum gloriam*, (arcâ) *testamenta*, (διαθήκας, tabulas legis moralis) *legislationē* (de judiciis) *obsequium*, (ἐυχαριστίαν de ceremoniis) & *promissa* (de præmiis, quæ proposita sunt servantibus legē.) Exprobrat Deus apud Oseam *b* tanto beneficio abutentibus: *Væ eis*, &c. & *ego erudivi eos*: & apud Amos *i*, ait, quod *annuntiat homi ni eloquium suum*, hoc est, quum sit adeo magnus, & potens, prout eum prius deſcribit idem Propheta, non dedignatur alloqui hominem, & salutaria docere, atque ut LXX. reddunt, *annunciare in hominesChristus suum*, ἀπαγγέλλειν εἰς ἀνθρώπους τὸν Χριστὸν αὐτοῦ. David autem *beatum* prædicans *quem Deus erudiat*, & *de lege sua doceat eum* k; atque hanc agnoscens *lucernam pedibus suis, & lumen semitis*, declarat quam arcto proprerea vinculo se obligatum sentiret ad collendum Deum, ejusque servandum mandata: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ* l.

Justitias & judicia sua Israel.) Hieron., *præcepta sua*, &c. Est enim nomen cum קיתי *cbukkau*; de quo eximus alias. Recte sumitur hic pro præceptis, ac justis de rebus certo quodam tempore, ac modo peragendis, qualia quæ pertinent ad rel gionem, ritus, ceremonias, ceremonialiaque dicuntur, quorum etiam ratio haud ita perspecta. Paraphrastes exposuit קיתי *Kciamoi*, *pacta sua*. Nam Deus pacta & promissiones suas certis designavit, sancivitque ceremoniis. Dicuntur hic Græcè δικαιώματα *justificationes sive justitiæ*; ab alio Interprete, ut Chrysost. notat, ἀκριβεῖς, *quod præcepta exacta*, vel προστάγματα *constitutiones*. Judicia κρίματα מִשְׁפָּטִים *missa* sunt, vel quæ peculiariter vocantur judiciaria præcepta, vel potius *supplicia*, quibus sanciuntur quævis præcepta. Apostuar. velut synonyma sumens exposuit κρίσεις, *ritus*, *justitias æquitates*.

Vers. 20. *vel* 9.) Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Alleluja.

ILlud legis beneficium, sive præceptorum moralium ceremonialium, judicialium plane singulare, ac præstans in populo suo Hebræo fuisse confirmat David, quoniam nulli, nisi illi ex cunctis aliis adeo multis nationibus concessum est. Quod quemadmodum in Ecclesia & militante locum habeat, & triumphante, dictum priore versu. *Umbram habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum* m, *lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est* n; *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio* o, *propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne* p *eff luamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quam nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem* p? &c. Nos omnes ex tot nationibus conflantes una natio sumus, denominata spiritualiter à Jacob, & Israel, & juxta eumdem spiritum semen Abrahæ sumus: cui benedixit Deus in Isaac, & benedictionem confirmavit, in hujus fi o Jacob, sive Israel. Amici jam sumus non servi nobis; Christus *omnia quecumque audivit à Patre suo, nota fecit* q: Judæis olim tantum judicia, & ceremonias externas: licet nonnullis ex eis etiam *occulta*, & *interna spiritalia sua* r. Quis ut par est, æstimat beneficium, quod vocatus sit in admirabile lumen Dei, cognitionē veritatis, viam salutis, tot aliis infelicibus hereticos, aut infideles hoc munere destitutis? Sed & inter Catholicos aliquę provincię, civitates, oppida hac in parte præstant aliis: maximè autē ordini religioso ascripti, & quidem illi, in quo vigeat relugaris disciplina, ut paullo post dicā. Augustin., & alii judicia, justitiasq; manifestari interpretantur, ut cognoscatur tandem, quā sint justa judicia Dei, licet aliquoin *incomprensibilia* secundū se s: & *quam justificata in semetipsis* t, nec aliquid abeo fieri, unde possit ignorantia humana cauſſari; quamvis videantur nunc absque delectu pati tum justi, tum injusti, prosperè agere nō minus injusti, ac magis aliquando, quā justi. Cliētovæus in adjecto commentario ad Cyrillum Alexandrinum in Joannē *u* longe verius ait in nobis ipsis quam in Judęis, completum esse, quod continetur hoc loco. Bernardus in sermone cōtra pestilentem vitium ingratitudinis urget vehemēter isto testimonio religiosos. Nec enim inquit *fecit taliter omni nationi*, ut non solum *judicia*, sed & *consilia sua manifestaret eis*, &c. Sed quod attinet ad populi Hebræi prærogativam, illum admonuit. Moysis. *Scitis ix, quod docuerim vos præcepta, atque justitias δικαιώματα καὶ κρίσεις, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc* πάντα τὰ δικαιώματα ταῦτα כל תהקים האלת *chol hachuKKim haelleh*,) *dicant; En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ enim est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, & præcepta* תקים *chuKKim*, δικαιώματα) *justas; judicia* (משפטים *umisspatim tsaddikim* καὶ κρίματα δικαία) *& universam legem* (הזאת *hazzoth*; ταύτην ἐντολήν) *quam ego proponam hodie ante oculos vestros. Custodi igitur temetipsum, & animam tuam sollicite*) πρόσεχε σεαυτῷ, καὶ φύλαξον τὴν ψυχήν σου σφόδρα, *attende tibi, & custodi animam tuam valde.*) Narratur aliud nostri Davidis elogium in historia Regum y de hoc eodem populo, *sane præclarum. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque ea magnalia, & horribilia super terram à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto gentem, & Deum ejus. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: & tu Domine Deus factus es eis in Deum.* Auctor autem Ecclesiastici z, post enumerationem bonorum, quæ Deus homini præstitit, descendit ad populum Hebræum cui legis beneficium collatum est, sic scribens a *Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos. Testamentum æternum constituit cum illo, & justitiam: & judicia sua ostendit illis, &c. b. In unamquamquam gentem præposuit rectorem, angelum aliqui intelligunt, sed melius de rege, sive principe homine passim alii) & pars Dei. Israel facta est manifesta. Et omnia opera illorum velut Sol in conspectu Dei, & oculi ejus sine intermissione in viis eorum*: nimirum ut excellentius afficiat præmio recte viventes, gravius puniat eos, qui male vivant. Baruche cum populo suo agens, *Beati sumus Israel*, ait, *quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*. Proxime vero ante *d* de lege sic pronunciat: *Hic liber mandatorum Dei & lex, quæ est in æternum: omnes qui tenent, eam, pervenient ad vitam: qui ante dereliquerunt eam, in mortem. Convertere Jacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorē ejus contra lumen ejus. Ne tradatas alteri gloriam tuam, & dignitatē tuam genti alienę*. Prius e, etiam scribit, quod *adinvenit Deus omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo*. Philos f suam laudans gentem per comparationē ad alias, ad hunc modum scribit. *Quidquid aliis contingit ex optimo cuiusq; philosophiæ studio, id Judæis ex legibus, ac moribus videlicet summi Dei notitia, repudiato errore deorum in creaturis consecratorum.*) Hoc unum evidens argumentū est eximiæ erga suam gentem charitatis, atq; fidei. Talibus ex Judæis Christiani adeo efferebantur initio encomii: adversus eos, qui ex gentibus admitti volebant in Eccl., ut comprimendi fuerint ab Apostolo in epistola ad Romanos; quemad modum & vice versa isti, quoniā illis exprobrabant, quod ab ipsis occisus esset Christus. Quod Pharisęus ille arroganter dicebat, *non sum, sicut ceteri hominū*, & *velut hic publicanus* g, hoc omnes Judæi de seipsis jactant, ceteros omnes præ se contemnentes, potissimum Christianos, quos & abominationes appellant תועבות *thobhavoth*. Nos Christiani, & qui inter Christianos ad sanctius vocati vitæ institutum sumus, possumus, & debemus, sed ea, qua par est, animi grati modestia, agnoscere dignitatem, & privilegium nostrum, quod non simus, sicut ceteri hominum, quodque *non fecerit Deus taliter omni nationi*, & idcirco plus requirit à nobis, & quod negligentes *plagis vapulabimus pluribus* h. Bene hoc loco id perpendit Ayguanus de Christianis. Valentia vero collegit ex ps. toto beneficia septem, propter quæ Christiana religio teneatur, Deum laudare præ ceteris nationibus. Nam Christus confortavit portas per sacramenta: benedixit; & absolvit à maledicto; munivit muro pacis, fidei, charitatis; satiavit cibo Eucharistiæ, ceteriſq; spiritualibus bonis: velociter eam congregavit prædicatione Apostolorum: per Verbum suum liquefecit scripturā V. Testamenti, atq; per Spiritum sanctum fluere fecit in montibus Apostolorum, à quibus veritas illius deſluxit per Orbem: denique soli religioni Christianæ, ac Ecclesiæ Christi data sunt supradicta bona.

Non fecit taliter omni nationi.) Hieron. *non fecit similiter omni genti*. Hebr. לגוי *legoi*: Chald. לעמא *lhamma*, *populo*. Vetus Psalterium, & Augustin.; *non fecit sic*. Græcè ὅτως: Hebr. כן *chen*. Chald. היכנא *hechena*. Apollin. apud Chrysostomum Græcè ὡσαύτως *similia*. Apollinarius οὐ τοσαῦτα. Ex hoc loquendi modo, & quod non absolute dicatur, *non fecit*, sed *non fecit sic omni nationi*, &c. infert Chrysostomus Judæos quidem privilegium legis consecutos in tabulis tradiræ per Moysen legislatorem: nulli tamen umquam nationi defuisse sufficientem legem conscientiæ: quod & Pauli i testimonio confirmat, scribentis, quod *gentes, quæ legem, nempe scriptam, non habebant, naturaliter quę legis sunt, faciebant: ac sibi ipsis lex erant*. Hoc idem jam prior circa locum istum Clemens k Alexandrinus observaverat, simul probans intelligentiam à Deo esse, non autē à Græcis inventam. Illud *non sic fecit*, feciſſe, quidem, inquit, significat, sed *non sic*. Illud ergo, *sic*, positum est, ut fiat comparatio cum nostra excellentia. Poterat autem utique Propheta dicere absolute, *non fecit*, absq; additamento hujus *sic*, &c. Postremo quod alibi sæpe mōnuimus, monentq; Jansenius, & Genebrardus, redigi debet in memoriam, quod *non omnis natio*, idem valet hic ac nulla, & *non fecerot taliter omni nationi*, idem quod nulli. Quamvis juxta Logicos negatio præposita signo universali denotet partem. Cujus rei Genebrardus profert ex scripturis exempla nonnulla.

Et judicia sua non manifestavit eis.) Hieron. & *judicia sua non cognoscent* ex Hebr. ומשפטים בל ידעום *umisf-*

Apatim bal jedabbum, verti deberet & *judicia non cognoscent ea*, vel *eorum* Ideſt gentes non cognoscent judicia illa, quæ Dominus annuntia vit Israelitis: aut non cognoscent judicia eorum nempe Israelitarum, quæ scilicet ipsis annuntiata sunt à Domino, atq; vivendi regulam, quam sibi à Domino præscripram secuti sunt. Legerunt fortasse Lxx. in *biphil* ידיעום *jadibbum*, cum affixo non pertinente ad judicia, sed ad homines. Nec vero displicet notatio Bovilli, & hic sumi pro, *quia*, ut ratio, cur taliter factum non sit omni nationi, hoc est, ulli alteri, sicut factū est nationi Hebræorum, reddatur, quia Deus judicia sua non manifestā vit aliis, sicut Hebræis, nempe sacramenta, & mysteria venturę hominum salutis; item opera mirabilia, quibus judicia sua, justa declara vit. Similem usum hujus particulæ aliis in locis nota vimus *In præteritis generationibus dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas* l. Quamvis lex eis naturalis, & gratiæ lumen non deſset: atq; ex ipsa lege, quam tradiderat Deus populo Hebreo, recte vivendi sumere præcepta possent, ut à multis factum innuit historia Machabæorum m, & magis differte tradit in antiquitatibus Judaicis Josephus, Philoq; in vita Moysis, differeſq; de opificio mundi. In fine est *alleluja*, non Hebr. solum, & Chald., sed etiam in emendatis Bibliis Latini, ut & in sequentium psalmorum trium fine; sed Latinē non in ullius alterius: quamvis Tre vetus noret, hunc esse sextum ex ns, qui habeant illud, videlicet connumerando alios præcedentes, ita ut juxta istam opinionem ponatur *alleluja* in fine novem psalmorum Quare non fuit negandum Scepręo deesse Latinē, tametsi verum sit non ascribi Græcè, Arabicè, Æthiopicè, adde & Illyricè, Putatus Hieron. monet initio sequentis psalmi esse duo *alleluja* in titulo: sed unum pertinere ad finem istius; hanc vero regulā acciplendam, quod omnes psalmi, qui habent in principio *alleluja*, & in finc habeant. Nescio in quo codice repererit duo *alleluja* in titulo psalmi sequentis; quoniam prima verba illius, *Laudate Dominum*, licet Hebr. dicantur iisdem vocibus, quibus componitur הללויה *baleluja h*, tamen inferitur articulus את *eth* inter הלל *balela*, & inter יהוה *jehovah*, quod ibi exprimitur, ex quo fit contractum ירת *jah* Cassiodorus ait, videri quod psalmi, qui habent *alleluja* in fine, pertinent toti ad pręconia Domini, nec alicujus alterius causę relatione permixti sunt, sed ut à capite incipiunt, ita usque ad finem in laude Dominica terminantur. Tamen addit hoc asseverari non posse, quia in rebus talibus aliquid definire periculum est. Digna laude Cassiodori modestia; quid nihilominus insit in hujusćemodi rebus periculi non perspicio, si temeritas absit, & pervicacia.

PSALMUS

CENTESIMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

1. Alleluja.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

3. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ: & lumen.

4. Laudate eum cęli cęlorum: & aquæ omnes, quæ super cęlos sunt, 5. laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7. Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi: